

» suæ eum, cujus est præsentia secundum operationem  
 » Satanæ, in omni virtute et signis et prodigiis mendacii,  
 » et in omni seductione iniquitatis his qui pereunt, pro  
 » eo quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi  
 » fierent; et ideo mittet illis Deus operationem erroris,  
 » ut credant mendacio, et judicentur omnes qui non cre-  
 » diderunt veritati, sed consenserunt iniquitati<sup>1</sup>. » Per  
 istum refugam, per istum qui se extollit supra omne quod  
 dicitur Deus, aut quod colitur, videtur mihi populum  
 Israëlitarum carnalium putaturum impleri istam prophe-  
 tiam, qua dictum est: « Salvos nos fac, Domine Deus  
 » noster, et congrega nos de Gentibus: » quod illo duce,  
 velut in conspectu inimicorum suorum visibilibus, qui  
 eos visibiliter captivaverant, habituri sint visibilem gloriam.  
 Sic credent mendacio, quia dilectionem veritatis non re-  
 ceperunt, ut non bona carnalia, sed spiritalia concupis-  
 cerent. Sic enim a diabolo decepti sunt, ut occiderent  
 Christum, quando dixerunt: « Si dimittimus eum sic,  
 » omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent  
 » nostrum et locum et gentem. Quando Caiphas unus ex  
 » ipsis, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nes-  
 » cistis quidquam, nec cogitatis, quia expedit nobis ut  
 » moriatur unus homo pro populo, et non tota gens  
 » pereat. Hoc autem, sicut Evangelista intellexit, non a  
 » se ipso dixit, sed cum esset pontifex anni illius, pro-  
 » phetavit, quia Jesus moriturus erat pro gente, et non  
 » tantum pro gente, id est, pro ovibus quæ perierant  
 » domus Israël, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, con-  
 gregaret in unum<sup>2</sup>. » Habebat enim alias oves, quæ non  
 erant de illo ovili. Iestas universas oves, et de Israëlitis, et  
 de Gentibus, diabolus et ejus angeli captivaverant. Ex-  
 pulso itaque ab eis diaboli dominatu, in conspectu malig-

<sup>1</sup> 2 Thess. 3-11 — <sup>2</sup> Joan. xi, 48-52.

norum spirituum qui eas captivaverant, ut salventur et  
 perficiantur in æternum, vox earum est in prophetia:  
 « Salvos fac nos, Domine Deus noster, et congrega nos  
 » de Gentibus. » Non sicut per Antichristum compleri  
 existimant Judæi, sed per Christum Dominum nostrum  
 venientem in nomine Patris sui, diem ex die salutare  
 ejus: de quo et hic dictum est: « Visita nos in salutari tuo.  
 » Et dicet omnis populus: » Iste populus prædestinato-  
 rum de circumcisione et præputio, gens sancta, populus  
 in adoptionem: « Fiat, fiat. »

## ENARRATIO

## IN PSALMUM CVI.

I. PSALMUS iste miserationes Dei commendat nobis,  
 probatas in nobis, et ideo expertis est dulcior. Et mirum  
 si potuerit suavis esse cuilibet, nisi illi qui id quod in isto  
 Psalmo audit, in se didicit. Non tamen uni alicui vel duo-  
 bus, sed populo Dei conscriptus est, et ad se agnoscen-  
 dum tanquam in speculo propositus. Cujus titulus non  
 nunc tractandus est: est enim, « Alleluia, » et bis « Al-  
 » leluia. » Quod nobis cantare certo tempore solemniter  
 moris est, secundum Ecclesiæ antiquam traditionem:  
 neque enim et hoc sine sacramento certis diebus canta-  
 mus. Alleluia certis quidem diebus cantamus, sed omni  
 die cogitamus. Si enim hoc verbo significatur laus Dei,  
 etsi non in ore carnis, certe in ore cordis: « Semper laus  
 » ejus in ore meo<sup>1</sup>. » Quod autem non semel, sed bis ha-

<sup>1</sup> Psal. xxxiii, 2.



bet « Alleluia » titulus iste, non hujus Psalmi proprium est, sed et alius superior sic habet. Et quantum apparet ex ejus textu, cantatus est ille de populo Israël; cantatur autem iste de universa Ecclesia Dei diffusa toto orbe terrarum. Forte non immerito bis habet, « Alleluia: » propter quod clamamus et Abba, Pater. » Cum aliud nihil sit Abba, quam Pater: non tamen frustra dixit Apostolus: « In quo clamamus, Abba, Pater<sup>1</sup>; » nisi quia unus quidem paries veniens ad lapidem angularem, clamat, « Abba; » alius ex alio latere clamat, « Pater: » in illo utique lapide angulari, qui est pax nostra, qui fecit utraque unum<sup>2</sup>. Videamus ergo hic quid admoneamur, et unde gratulemur, et unde gemamus, et unde auxilium postulemus, unde deseramus, unde nobis subveniatur, quid simus per nos, quid per misericordiam Dei, quomodo nostra superbia conteratur, ut illius gratia glorificetur. Unicuique hominum quod dicturus sum, si fieri potest, occurrat in se. Loquor autem hominibus, qui ambulant viam Dei, et constituti sunt in aliquo propectu spiritali. Unde si qui forte propter hoc minus me intelligunt, inveniant ubi sint, et proficiendo ad intellectum festinent. Non autem arbitror deserturum Deum conatum nostrum, ut ad omnes perveniat quod loquimur, sive expertos, sive inexpertos, ut experti approbent, inexperti desiderent, et omnibus suavis sit disputatio mea: quæ primum Domino suavis erit, si veridica erit; veridica autem erit, si non mihi a me, sed ab illo erit. Sic coepit Psalmus:

II. « Confitemini Domino, quoniam suavis est, quoniam in sæculum misericordia ejus<sup>3</sup>. » Hoc confitemini, quoniam suavis est: si gustastis, confitemini. Non potest autem confiteri, qui gustare noluit. Unde enim dicturus

<sup>1</sup> Rom. viii, 15. — <sup>2</sup> Ephes. ii, 14 et 20. — <sup>3</sup> Psal. cvi, 1.

est suave esse quod nescit? Vos autem si gustastis quam suavis est Dominus<sup>1</sup>: « Confitemini Domino, quoniam » suavis est. » Si gustastis aviditate, confessione erucitate. « In sæculum enim misericordia ejus, » id est, in æternum. Hic enim ita positum est « In sæculum, » quia et in nonnullis Scripturæ locis « In sæculum, » id est, quod græce εις αἰῶνα dicitur, in æternum intelligitur. Neque enim misericordia ejus ad tempus est, et non in æternum; cum ideo sit super homines hæc ejus misericordia, ut vivant cum Angelis in æternum.

III. « Dicant qui redempti sunt a Domino<sup>2</sup>. » Redemptus quidem videtur et populus Israël de terra Ægypti, de manu servitutis, ex laboribus infructuosis, ex operibus luteis; videamus tamen utrum ipsi sint qui hæc dicunt, qui ab Ægypto liberati sunt a Domino. Non ita est. Sed qui sunt isti? « Quos redemit de manu inimicorum. » Adhuc potest quisque et illos accipere redemptos de manu inimicorum, hoc est, Ægyptiorum. Proprie exprimantur qui sint, propter quos hæc vult Psalmus iste cantari. « De » regionibus congregavit eos. » Possunt esse adhuc regiones Ægypti; multæ enim etiam unius provinciæ regiones sunt. Aperte dicat: « Ab Oriente et Occasu, ab Aquilone et Mari<sup>3</sup>. » Istos ergo jam redemptos intelligimus in toto orbe terrarum. Populus hic Dei de magna et lata Ægypto liberatus, tanquam per mare Rubrum ducitur<sup>4</sup>, ut in baptismo finiat inimicos. Sacramento enim tanquam Rubri maris, baptismo scilicet Christi sanguine consecrato, insequentes Ægyptii, peccata delentur; et te evadente, nullus qui te premebat, remanet inimicus. Isti ergo dicant hæc; et audiamus jam, fratres (quoniam ducitur iste populus Dei), quid hic agatur in congregatione omnium gentium redempta per Christum: non quasi simul con-

<sup>1</sup> I Petr. ii, 3. — <sup>2</sup> Psal. cvi, 2. — <sup>3</sup> Ibid. 3. — <sup>4</sup> Exod. xiv, 22.



tingant hæc quæ cantantur, in omnibus, sed in singulis quibusque credentibus; in populo autem illo aliter. Totus enim populus, tota illa gens ex semine Abrahamæ secundum carnem, tota multitudo domus Israël semel educta est ex Ægypto, semel per Rubrum mare ducta, semel ad terram promissionis perducta; simul enim omnes erant, in quibus hæc contingebant: « Hæc autem omnia in » figura contingebant in illis, scripta sunt autem ad correctionem nostram, in quos finis sæculorum obvenit<sup>1</sup>. » Nos vero non simul omnes, sed paulatim singillatimque credentes congregamur in unam quamdam civitatem, et in unum populum Dei: sed in unoquoque nostrum etiam singulo contingunt hæc, quæ scripta sunt, contingunt in populo. Etenim populus de singulis, non singuli de populo. Numquid enim unus homo ex populis? Sed populus ex singulis hominibus constat. Quidquid ergo, cum loquor, agnoveris in te, quisquis expertus es, noli cogitando quasi remanere in te, et putare quod in solo te contingit; sed crede ista contingere aut in omnibus, aut prope in omnibus qui veniunt ad hunc populum, et de manu inimicorum pretioso sanguine redimuntur.

IV. Repetiturus est enim assidue quod cantavimus modo: « Confiteantur Domino miserationes ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. » Istos versus, quantum advertere potui, quod potestis et vos, quater repetit; in quo numero, quantum Domino adjuvante scrutari valuimus, significat nobis quatuor quasdam tentationes, ex quibus nos liberat cui confitentur suæ miserationes. Fac enim hominem primo nihil quærentem, secundum vitam veterem seductoria securitate viventem, nihil putantem aliud esse post hanc vitam quandoque finiendam, negligentem quemdam et socordem, obrutum cor habentem illecebris

<sup>1</sup> I Cor. x, 11.

mundi, et mortiferis delectationibus consopitum: ut excitetur iste ad quærendam gratiam Dei, ut fiat sollicitus, et tanquam de somno evigilet, nonne manus Dei excitat eum? Sed tamen a quo sit excitatus, ignorat. Incipit autem esse jam Dei, cum cognoverit veritatis fidem. Sed antequam cognoscat, dolet errorem suum. Invenit enim se in errore, vult cognoscere veritatem, pulsat ubi potest, tentat quod potest, vagatur qua potest, famem etiam patitur ipsius veritatis. Prima ergo tentatio est erroris et famis. Ubi in hac tentatione fatigatus exclamaverit ad Deum, perducitur ad viam fidei, unde incipiat pergere ad civitatem quietis. Perducitur ergo ad Christum, qui dixit: « Ego sum via<sup>1</sup>. »

V. Cum ergo ibi fuerit, jam sciens quid observare debeat, nonnunquam multum sibi tribuendo, et quasi de suis viribus præsumendo, incipit conflagrare velle contra peccata, et propter superbiam superari. Invenit ergo se ligatum difficultatibus cupiditatum, et non posse viam propter compedes ambulare: inclusum se sentit difficultate vitiorum; et tanquam muro impossibilitatis erecto, portisque clausis, qua evadat ut recte vivat, non invenit. Jam scit quomodo vivere debeat: prius enim in errore erat, et famem veritatis patiebatur; accepit autem jam cibum veritatis, et positus est in via: audit, Vive bene, secundum quod nosti; antea enim non noveras quemadmodum viveres, modo accepisti et nosti. Conatur, non potest; ligatum se sentit, exclamat ad Dominum. Secunda ergo tentatio est difficultatis in bene operando, sicut illa prima erroris et famis. Exclamat et in hac ad Dominum: liberat Dominus de necessitatibus, rumpit vincula difficultatis, constituit in operatione æquitatis. Incipit ei jam facile esse quod difficile fuerat, abstinere a malis, non

<sup>1</sup> Joan. xiv, 6.



adulterare, non furtum facere, non homicidium, non sacrilegium, non alienum concupiscere: facta est facultas quæ fuerat antea difficultas. Potuit hoc Dominus sine difficultate præstare: sed si hoc sine difficultate haberemus, largitorem hujus boni non agnosceremus. Si enim primitus, cum vellet, posset, et non sentiret adversus se obnitentes cupiditates, nec vinculis suis gravata anima collideretur; suis viribus tribueret quod se posse sentiret, et non confiterentur Domino miserationes ejus.

VI. Post has duas tentationes, primam erroris atque inopiæ veritatis, secundam difficultatis bene operandi, tertia tentatio excipit hominem: ei loquor qui jam transiit has duas. Nam istæ duæ, fateor, multis notæ sunt. Quis enim nescit se ab ignorantia venisse ad veritatem, ab errore ad viam, a fame sapientiæ ad verbum fidei? Deinde multi luctantur cum difficultatibus vitiorum suorum, et adhuc consuetudine colligati gemunt tanquam in clausura et compedibus. Agnoscunt et istam tentationem, quamvis jam dicant, si forte dicunt: « Infelix ego homo, quis » me liberabit de corpore mortis hujus<sup>1</sup>? Nam vide arctissima vincula: « Caro, inquit, concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non ea quæ » vultis, illa faciatis<sup>2</sup>. » Proinde qui jam est adjutus spiritu, ut quemadmodum noluit esse adulter, sic non sit, quomodo noluit esse fur, sic non sit; et cætera illa omnia, quæ volunt homines vincere, et sæpe inflexi superantur, ut exclament ad Deum, ut de necessitatibus eorum eruat eos, et inde liberati confiteantur Domino miserationes ejus: quisquis ergo talis est, et vicit illas difficultates, et probabiliter jam conversatur inter homines, sine ulla querela malorum morum, excipitur tentatione tertiæ tædiij cujusdam in mora hujus vitæ, ita ut aliquando eum nec

<sup>1</sup> Rom. vii, 24. — <sup>2</sup> Gal. v, 17.

orare delectet. Tertia tentatio priori contraria: prius enim periclitabatur fame, postea fastidio. Unde et hoc, nisi de quodam languore animæ? Jam non te illicit adulterium, nec tamen delectat Dei verbum. Jam post periculum imperitiæ et concupiscentiæ, de quibus duobus te evasisse lætaris, vide ne tædium fastidiumque te necet. Non est et ista levis tentatio: agnosce te in illa, et exclama ad Dominum, ut de necessitatibus tuis etiam hic liberet te; et de hac tentatione liberatus cum fueris, confiteantur illi miserationes ejus.

VII. Liberatus autem ab errore, liberatus a difficultate bene operandi, liberatus a tædio fastidioque verbi Dei, fortassis dignus eris cui populus committatur, constituaris in gubernaculis navis, rectorus Ecclesiam. Ibi quarta tentatio. Tempestates maris quatientes Ecclesiam, turbant gubernatorem. Denique tres illas tentationes experiri potest omnis pius fidelis in populo Dei: quarta ista nostra est. Quanto enim plus honoramur, tanto plus periclitamur. Metuendum est ne avertat aliquem vestrum a veritate periculum erroris; metuendum est ne vincat unumquemque cupiditas sua, et eligat eam sequi, quam ex ejus difficultatibus exclamare ad Dominum; metuendum est ne unicuique vestrum minus sapiat verbum Dei, et fastidio moriatur: tentatio vero gubernandi, tentatio periculorum in regenda Ecclesia nos potissimum tangit. Sed quomodo et vos alieni eritis, si tota navis periclitabitur? Quod ideo dixi, ne in hac quarta tentatione, tanquam nostra propria, (ubi opus est ut ab orationibus non desistatis, nam vos primo naufragatis,) minus solliciti sitis, et pro nobis minus oretis. Quid enim, fratres, quia ad eadem gubernacula non sedetis, non in eadem navi navigatis?

VIII. Post has quatuor tentationes, quatuor exclamationes, quatuor liberationes, quatuor miserationum do-



minicarum confessiones, generaliter in hoc Psalmo consequenter ipsa commendatur Ecclesia: ut evidentissime noveritis, de qua Psalmus ab exordio loquebatur. Commendatur autem ita ut nobis in omnibus Dei gratia prædicetur, « Qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam<sup>1</sup>: » quia ideo ille venit, « Ut qui non vident, videant, » et qui vident, cæci fiant<sup>2</sup>: quia omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur<sup>3</sup>. » Quo commendato, dicitur aliquid, quod etiam de hæreticis intelligatur, quibus tanquam civilibus bellis quatitur Ecclesia; et concluditur Psalmus, quem jam exposui, brevius fortasse quam putabatis. Nam usque adeo me istum totum Psalmum aliquantum prolixum exposuisse arbitror, ut jam officium a me non expectetis disputatoris, sed pene lectoris, si tenetis quæ dixi. Puto enim, sunt ante oculos vestros constituta: sed ut melius commendentur, breviter replicentur. Prima tentatio, erroris et famis verbi; secunda, difficultatis vincendarum concupiscentiarum; tertia, tædii atque fastidii; quarta, tempestatis et periculorum in gubernandis Ecclesiis: et in his omnibus exclamationes, et liberationes, et miserationum Dei confessiones. Ad extremum ipsius Ecclesiæ fit commendatio, quæ et salva facta est per gratiam Dei nostri, non per meritum suum: et commemoratur inimicorum afflictio propter superbiam; quibus extinctis, erecta est Ecclesia: et propter insidias quasdam deminutionis ab hæreticis, et detrimentorum quodam modo domesticorum, et ex his circa Ecclesiam divina beneficia, et Psalmi conclusio. Legamus jam magis quam disseramus.

IX. « Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit » de manu inimicorum, de regionibus congregavit eos, » ab Oriente et Occasu, et Aquilone et Mari<sup>4</sup>. » Christiani ergo ipsi dicant, de toto orbe convocati. « Erraverunt in

<sup>1</sup> Jacob. iv, 6. — <sup>2</sup> Joan. ix, 39. — <sup>3</sup> Isai. xl, 4. — <sup>4</sup> Psal. cvi, 2, 3.

» solitudine, in siccitate, viam civitatis habitationis non » invenerunt. » Errorem miserabilem audivimus: quid de inopia? « Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis » defecit<sup>1</sup>. » Sed quare defecit? cui bono? Non enim crudelis est Deus; sed se commendat, quod expedit nobis, ut nobis deficientibus rogetur, et ut subveniens ametur. Et ideo post hunc errorem et famem et sitim, « Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur; et de necessitatibus eorum eripuit eos. » Et quid illis præstitit, quia errabant? « Et deduxit eos in viam rectam. » Viam civitatis habitationis non inveniebant, fame et siti aestuabant, et deficiebant: « Et deduxit eos in viam rectam, » ut irent in civitatem habitationis. » Quomodo subveniret fami et siti, nondum dicit, sed et hoc expectate. « Confitentur Domino miserationes ejus, et mirabilia ejus » filiis hominum. Dicite experti inexpertis, jam in via positi, jam ad civitatem invenendam directi, jam denique a fame et siti liberati: « Quoniam satiavit animam » inanem, et animam esurientem implevit bonis<sup>2</sup>. »

X. Vive ergo bene, jam in via positus es, jam audisti quid agere debeas, quid sperare. Quid aliud excipit, quoniam conaris et superaris? « Sedentes in tenebris et in umbra mortis, compeditos, in mendicitate et ferro<sup>3</sup>. » Unde hoc, nisi quia tibi tribuebas, quia gratiam Dei non agnoscebas, quia consilium Domini circa te reprobabas? Nam vide quid adjungat: « Quoniam inamaricaverunt eloquia » Domini: » per superbiam, justitiam Domini nescientes, et suam volentes constituere<sup>4</sup>. « Et consilium Altissimi » exacerbaverunt. Et humiliatum est in laboribus cor » eorum<sup>5</sup>. » Et nunc pugna contra concupiscentiam. Deo desistente ab adjutorio, laborare potes, vincere non potes. Et cum fueris pressus consuetudine tua prava, humili-

<sup>1</sup> Psal. cvi, 4, 5. — <sup>2</sup> Ibid. 6-9. — <sup>3</sup> Ibid. 10. — <sup>4</sup> Rom. x, 3. — <sup>5</sup> Psal. cvi, 11, 12.



bitur cor tuum in laboribus : ut jam corde humiliato discas clamare : « Infelix ego homo , quis me liberabit de » corpore mortis hujus<sup>1</sup> ? Humiliatum est ergo in laboribus » cor eorum : infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret eos. » Quid ergo restat, nisi quare factum est? « Si enim data » esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex lege esset » justitia : sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut » promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus<sup>2</sup>. » Lex autem subintravit, ut abundaret delictum<sup>3</sup>. » Accepisti verbum, accepisti præceptum, nec desinis facere quod male faciebas, et accepto præcepto, auges peccata per prævaricationem. Superbe, si te ignorabas, vel disce te humiliatus : clamabis, a necessitate liberaberis, liberatus miserationes Domini confiteberis. « Et clamaverunt » ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus » eorum salvos fecit eos<sup>4</sup>. » Liberati sunt de secunda tentatione, restat tædii atque fastidii. Sed primo quid istis præstitit liberatis, videte. « Et eduxit eos de tenebris » et umbra mortis, et vincula eorum dirupit. Confiteantur Domino miserationes ejus et mirabilia ejus filiis hominum. » Quare? Quas difficultates vicit? « Quia contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorum : propter injustitias enim suas humiliati sunt<sup>5</sup>. » Quia sibi tribuebant, non Deo : quia suam justitiam constituebant, ignorantes Dei justitiam<sup>6</sup>, humiliati sunt. Invenerunt se non posse sine ejus adjutorio, qui de suis solis viribus præsumebant.

XI. Sed quod aliud genus restat? « Omnem escam abominata est anima eorum. » Jam fastidium patiuntur, fastidio languent, fastidio periclitantur : nisi forte putas occidi eos fame potuisse, et non posse fastidio. Vide quid

<sup>1</sup> Rom. vii, 24. — <sup>2</sup> Gal. iii, 21, 22. — <sup>3</sup> Rom. v, 20. — <sup>4</sup> Psal. cvi, 13. — <sup>5</sup> Ibid. 14-17. — <sup>6</sup> Rom. x, 3.

sequatur, cum dixisset : « Omnem escam abominata est » anima eorum; » ne quasi eos putares de satietate securos, non magis videres de fastidio morituros : « Et appropinquaverunt, inquit, usque ad portas mortis<sup>1</sup>. » Quid ergo restat? Ut quod te delectat verbum Dei, non tibi tribuas, neque hinc aliqua infleris arrogantia, et avidus cibi, in eos qui fastidio periclitantur superbe insilias. Intellige etiam tibi præstitum esse hoc, non a te tibi esse. « Quid enim habes quod non accepisti<sup>2</sup>? » Hoc ergo intelligens, et hoc vitio atque languore periclitans, fac quod sequitur : « Et exclamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos. » Et quia languor erat non delectari : « Misit verbum suum, » et sanavit eos<sup>3</sup>. » Vide quid mali habeat fastidium; vide unde liberat ille, ad quem clamat fastidians, « Misit » verbum suum, et sanavit eos : et eripuit eos. » Unde? Non de errore, non de fame, non de difficultate vincendi peccata, sed « De corruptela eorum. » Quædam corruptela mentis est, fastidire quod dulce est. Ergo et de hoc beneficio, sicut de cæteris superioribus, « Confiteantur » Domino miserationes ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Et sacrificent sacrificium laudis<sup>4</sup>. » Jam enim ut laudetur, suavis est Dominus. « Et enuntient opera ejus » in exultatione. » Non cum tædio, non cum mœrore, non cum anxietate; non cum fastidio, sed, « In exultatione. »

XII. Quarta illa restat, in qua omnes periclitamur. Omnes enim in navi sumus : alii operantur, alii portantur; simul tamen omnes et in tempestate periclitantur, et in portu salvantur. Post hæc enim omnia sequitur, « Qui » descendunt mare in navibus, facientes operationem in » aquis multis<sup>5</sup> : » id est, in populis multis. Aquas enim

<sup>1</sup> Psal. cvi, 18. — <sup>2</sup> I Cor. iv, 7. — <sup>3</sup> Psal. cvi, 19, 20. — <sup>4</sup> Ibid. 21, 22. — <sup>5</sup> Ibid. 23.



sæpe pro populis poni, testis est Apocalypsis Joannis, ubi interrogans Joannes quid illæ aquæ essent, responsum est ei : « Populi sunt<sup>1</sup>. » Qui ergo faciunt operationem in aquis multis, « Ipsi viderunt opera Domini, et » mirabilia ejus in profundo<sup>2</sup>. » Quid enim profundius cordibus humanis? Inde plerumque venti erumpunt, tempestates seditionum et dissensionum navem perturbant. Et quid agitur in his? Volens Deus ut ad eum clamarent et hi qui gubernant, et hi qui portantur, « Dixit, et stetit » spiritus procellæ. » Quid est, « Stetit? » Permansit, perduravit : adhuc turbat, diu jactat, sævit, et non transit. » Dixit enim, et stetit spiritus procellæ. » Et quid egit iste spiritus procellæ? « Et exaltati sunt fluctus ejus. Ascendunt usque ad cælos, » audendo : « Descendunt usque » in abyssos, » timendo. « Ascendunt usque in cælos, » descendunt usque in abyssos : » foris pugnæ, intus timores. « Anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, » et moti sunt sicut ebrius<sup>3</sup>. » Qui sedent ad gubernacula, et qui fideliter navem amant, sentiunt quod dico : « Turbati » sunt et moti sunt sicut ebrius. » Certè quando loquuntur, quando legunt, quando tractant, sapientes apparent : væ a tempestate. « Et omnis, inquit, sapientia eorum absorpta » est. » Aliquando deficiunt omnia humana consilia : quacumque se quisque converterit, fluctus fremunt, tempestas sævit, brachia deficiunt : quo prora impingatur, cui fluctui latus nudetur, quo navis impulsæ dimittatur, a quibus saxis ne pereat refrenetur, omnino a rectoribus non videtur. Et quid restat, nisi quod sequitur? « Et exclamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de » necessitatibus eorum eduxit eos. Et imperavit procellæ, » et stetit in auram<sup>4</sup>. » Non stetit in tempestatem, sed » in auram. Et siluerunt fluctus ejus. » Audite de hac re

<sup>1</sup> Apoc. xvii, 15. — <sup>2</sup> Psal. cvii, 24. — <sup>3</sup> Ibid. 25-27. — <sup>4</sup> Ibid. 28, 29.

vocem cujusdam gubernatoris periclitati, humiliati, liberati. « Nolo, inquit, vos ignorare, fratres, de pressura » nostra, quæ facta est in Asia, quia supra vires gravati » sumus, et supra modum, ( Video omnem sapientiam » ejus absorptam. ) ita ut tæderet nos, inquit, etiam vi- » vere<sup>1</sup>. » Et quid? ille ita deficientes desereret? Aut non propterea illi defecerunt, ut ille apud eos gloriam reperiret? Denique quid sequitur? « Sed ipsi in nobismetipsis » responsum mortis habuimus, ut non fidentes in nobis » simus, sed in Deo qui suscitatur mortuos<sup>2</sup>. » Et imperavit » procellæ, et stetit in auram. » Jam illi de se apud se responsum mortis habuerant, quorum omnis sapientia absorpta erat. « Et siluerunt fluctus ejus. Et jucundati sunt » quoniam siluerunt : et deduxit eos in portum voluntatis » eorum. Confiteantur Domino miserationes ejus<sup>3</sup>. » Ubique omnino, ubique « Confiteantur Domino, » non merita nostra, non vires nostræ, non sapientia nostra, sed » Miserationes ejus. » Ille ametur in omni nostra liberatione, qui est invocatus in omni nostra tribulatione. « Confiteantur Domino miserationes ejus, et mirabilia ejus » filiis hominum. »

XIII. Et videte unde dicat, unde omnia ista prælocutus sit, unde omnia hæc enumeraverit, ubi agantur hæc. « Et » exaltent eum in Ecclesia populi ; et in cathedra seniorum » laudent eum<sup>4</sup>. Et exaltent eum, » hoc est, « Laudent eum, » et « Laudent eum, » hoc est, « Exaltent eum. » Exaltent, laudent populi et seniores, et negotiatores et gubernatores. Quid enim fecit in hac Ecclesia? quid constituit? unde illam eruit? quid ei præstitit? Quemadmodum superbis restitit, humilibus gratiam dedit<sup>5</sup> : superbis scilicet primo populo Judæorum, arroganti et extollenti se de genere

<sup>1</sup> 2 Cor. 1, 8. — <sup>2</sup> Ibid. 9. — <sup>3</sup> Psal. cvii, 30, 31. — <sup>4</sup> Ibid. 32. — <sup>5</sup> Jacob. iv, 6.



Abrahæ, et quod illi genti sint credita eloquia Dei<sup>1</sup>. Non eis hæc valebant ad sanitatem, sed ad exaltationem cordis, ad tumorem potius quam ad magnitudinem. Quid ergo fecit Deus superbis resistens, humilibus dans gratiam; ramos naturales propter superbiam amputans, oleastrum propter humilitatem inserens<sup>2</sup>? quid fecit Deus? Audite hæc duo: Deus primo quemadmodum superbis resistat, deinde quemadmodum humilibus det gratiam. « Posuit » flumina in desertum. » Currebant ibi aquæ, currebant prophetiæ. Quære modo apud Judæos Prophetam, non invenis. « Posuit enim flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim. Posuit flumina in desertum<sup>3</sup>. » Dicant, « Jam non est Propheta, et nos non cognoscet adhuc<sup>4</sup>. » Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim, » terrarum fructiferam in salinas<sup>5</sup>. » Quæris ibi fidem Christi, non invenis; quæris Prophetam, non invenis; quæris sacerdotem, non invenis; quæris sacrificium, non invenis; quæris templum, non invenis. Quare hoc? Quia, « Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim, » terram fructiferam in salinas. » Unde? quo merito? « A » malitia inhabitantium in ea. » Ecce quomodo superbis resistit: audi quomodo humilibus det gratiam. « Posuit » desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in » exitus aquarum. Et habitare fecit illic esurientes<sup>6</sup>. » Quoniam illi dictum est: « Tu es sacerdos in æternum » secundum ordinem Melchisedech<sup>7</sup>. » Quæris enim sacrificium apud Judæos: non habes secundum ordinem Aaron, quia posuit flumina in desertum: quæris secundum ordinem Melchisedech: apud illos non invenis, sed per totum orbem celebratur in Ecclesia. « A solis ortu usque ad occasum laudatur nomen Domini<sup>8</sup>. » Et dicit Deus illis,

<sup>1</sup> Rom. III, 2. — <sup>2</sup> Id. XI, 17-24. — <sup>3</sup> Psal. CVI, 33. — <sup>4</sup> Id. LXXIII, 9. — <sup>5</sup> Id. CVI, 34. — <sup>6</sup> Ibid. 35, 36. — <sup>7</sup> Id. CIX, 4. — <sup>8</sup> Id. CXII, 3.

quorum flumina posuit in desertum: « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, nec accipiam sacrificium de manibus vestris: quoniam ab ortu solis usque » ad occasum, sacrificium mundum offertur nomini meo<sup>1</sup>. » Ubi erant omnia immunda sacrificia, quando desertum erant, quando squalebant, quando salinæ erant omnes gentes; ibi nunc fontes, ibi nunc flumina, ibi nunc stagna aquarum, et exitus aquarum. « Ergo superbis restitit, » humilibus autem dedit gratiam. Et habitare fecit illic » esurientes: » quia, « Edent pauperes, et saturabuntur<sup>2</sup>. » Et constituerunt civitatem habitationis. » Interim habitationis in spe: quoniam, « Qui me audit, inquit, habitabit in spe<sup>3</sup>. Et constituerunt civitatem habitationis. » Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum frumenti<sup>4</sup>: » ad quem<sup>5</sup> gaudet operarius ille, qui dicit, « Non quia quæro datum, sed requiro » fructum<sup>6</sup>. Et benedixit eos, et multiplicati sunt nimis, » et jumenta eorum non sunt deminuta<sup>7</sup>. » Hoc stat. « Firmum enim fundamentum Dei stat; quia novit Dominus qui sunt ejus<sup>8</sup>. » Jumenta et pecora dicuntur, in Ecclesia simpliciter ambulancia, sed utilia; non multum docta, sed fide plena. Ergo et spiritales et carnales « Benedixit eos, et multiplicati sunt nimis, et jumenta eorum non sunt deminuta. »

XIV. « Et pauci facti sunt, et vexati sunt<sup>9</sup>. » Unde hoc? De transverso? Imo de interno. Ut enim pauci fierent, » Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis<sup>10</sup>. » Ideo autem tanquam de his dicit, de quibus antea loquebatur, ut cum intellectu discernantur; quia tanquam de hisdem loquitur, propter communia sacramenta. Ad po-

<sup>1</sup> Malach. I, 10, 11. — <sup>2</sup> Psal. XXI, 27. — <sup>3</sup> Prov. I, 33, juxta LXX. — <sup>4</sup> Psal. CVI, 37. — <sup>5</sup> *Supple* fructum. — <sup>6</sup> Philip. IV, 17. — <sup>7</sup> Psal. CVI, 38. — <sup>8</sup> 2 Tim. II, 19. — <sup>9</sup> Psal. CVI, 39. — <sup>10</sup> I Joan. II, 20.